

Firmatur Thesis auctoritate.

50. Primò ipsius Ecclesie universalis, quae divino afflata Spiritu, caput hoc 24. in Deigenitricis celebratibus decantat, quemadmodum etiam bonam capitis 8. Proverbiorum partem; signatim Hispaniarum Ecclesia in sacra eaque antiquissima Liturgia, qua immaculatam Deiparae Conceptionem ab heroicis saeculis jam inde celebravit, caput illud Ecclésiastici, Prophetia nomine B. Virgini de purissima sua Conceptione canenti, sapienter adscripsit. Quem eundem ritum Ecclesia Romana tandem probasse visa est, cum eodem Ecclésiastici capite Matutinas Conceptae Virginitis preces exornaverit. Sanè credibile non est, integra ferè sacrae Scripturae capita ab Ecclesia Virgini decantari per meram dumtaxat accommodationem, praeter Spiritus sancti intentionem, ac praeter ipsius contextus adjuncta. Ut enim supra statuimus, illud inter sensum merè accommodatum ex una parte, & sensum spirituales & litterales ex altera, discrimen intercedit, quòd sensum litteralem vel spirituales Scriptura significat significatione mediata vel immediata verborum, observando ipsorum contextum; ac hanc mediatam, vel immediatam significationem, quae ex contextu elicitur, non habet scriptura, quando in sensu accommodatio exponitur; alioquin hic sensus nihil differret à litterali, vel spirituali. Unde is modus significandi liberior est, quam quivis alius Scripturae, ut potè qui contextui non sit adstrictus: cum tamen sensus litteralis ex contextu maximè pendeat, necnon & sensus spiritualis, ut qui in litterali fundetur, & illum supponat. Fatendum igitur est, caput illud 24. ab Ecclesia Virgini adaptari, (cum ferè totum illi adaptetur) non praeter contextum, sive praeter rationem, & ordinem illius, sed significatione immediatà verborum, maximè observato ipsorum contextu. Unde à pluribus Doctoribus plura ex eo capite 24. desumuntur testimonia ad solidè probanda Deiparae magnalia, ejus praesertim immunitatem originariam.

Galati.

51. Secundò, contemnenda non est Petri Galatini mens sic aientis lib. 7. de Arcan. c. 1. Ecclésiastici 25. Jehovah Sirach sic ait: Ab initio & ante saecula creata, sum &c. de Virgine Matre Messie intelligenda sunt. Neque enim illorum sententiam approbandam duco, qui non de B. Virgine, de sapientia divina dumtaxat eadem verba dici affirmant. Nam etsi praemissa verba, Deus possedit me, cum ceteris, de sapientia divina, quae ab aeterno genita est, rectè dicantur; ea tamen verba Ecclésiastici, Ab initio & ante saecula creata, sum; eidem sapientiae divinae minime convenire possunt: quia cum juxta sacrorum Theologorum sententiam, nihil sit in Deo, quod non sit ipse Deus, idcirco sapientiam, quae in Deo est, Deum esse necessariò consequens est: quare & ipsam increatam esse oportet. Verba igitur illa, ab initio & ante saecula creata, sum; cum non possint de divina sapientia intelligi, de SS. Matre Messie intelligi oportet. Haec Galatinus: qui licet plus aequò excogitet, dum affirmat de sola Virgine, non de genita Dei sapientia posse & debere ea verba exponi; rem tamen verissimam statuit, cum autumat posse, & debere illud Ecclésiastici caput de Deipara in sensu verè litterario intelligi.

22. Tertio, tuetur nostram sententiam eruditissimus Episcopus Placentinus, de quo noster Acolta lib. 3. de Christo revelato c. 11. ita scribit: *Audivi equidem virum eruditissimum Episcop. Placent. hac de re pro suggestu differentem; qua cum Beatissima Deiparae conceptionem immaculatam commendaret, atque ea, qua Ecclesia canat in illius laudem, expenderet, censebat ille quidem, eam esse in Ecclesia vim, ut qua literaliter de Dei sapientia dicta essent, de Virgine Matre etiam literaliter intelligi deberent, verumque & proprium illorum verborum sensum esse, in quem ab Ecclesia sancta recuarentur. Hanc Episcopi Placentini mentem, subjungit Acolta, religiosam esse; sed non profus circumspicere ipsi videtur, ea solum de causa; quia Ecclesia sensum litteralem scripturae tribuere non potuit, quem illa hactenus non haberet. Ast infirma haec ratio; nam Ecclesia tunc, quando sacram illam scripturam Virgini adscribit, sensum quidem litteralem enucleatè proponit, quo antea minus dilucide gaudebat.*

Acolta.

53. Quarto, accedit gravis Petri Cirveli Darocensis olim in Complutensi Academia sacrarum litterarum professoris, in sua illa peregrina libri Missalis expositione c. 116. ubi cum statuisset, Jesum Siracidem hoc 24. capite ad litteram loqui de increata Dei sapientia, subjungit sapientissimè ad rem nostram: *Haec autem applicatio illarum scripturarum ad Virginem Mariam licet in Biblià sit sensus spiritualis, in hoc tamen officio est sensus litteralis. Eruditis pendenda verba relinquo: quomodocumque pendantur, pro nobis sunt.*

Petr. Cirveli.

54. Quintò, nostrum placitum libentissimè amplectitur P. Aloysius ab Alcazar Notar. 2. ad c. 12. Apoc. verissimus planè divinarum scripturarum aestimator, & elucidator egregius. Sic ergo ille opportunè: *In ipsius Virginitis ferè canitur ab Ecclesia totum ferè caput 24. Ecclésiastici, in quo pariter est de Christo Dei Sapientia sermo. In his ergo, atque similibus locis nonnulli satis esse putant, si Ecclesia aliquando ad Virginem applicare perhibeatur, quòd tamen minime dicitur de illa, si verus sacrae scripturae sensus attendatur: quemadmodum eidem etiam applicatur illa, Maria optimam partem elegit. Mihi tamen valde sit verisimile, tam in sacra Scripturae secunditate, quam in maximam unionem, quae inter Christum & Mariam intercedit, omninò cadere, ut illa verba, qua in praecipuo sensu Christum respiciunt, in sensu secundario, & ex intentione etiam Spiritus S. ad Virginem referantur. Quid loquulentiùs?*

Alcazar.

55. Sextò, Alcazari applaudit vir aequè eruditus, ac pius P. Jacobus de-Granado in suo illo verè aureo, & gemmeo libello de immaculato Virginitis Conceptu disp. 3. c. 5. ubi ita: *Valde verisimile est id, quod doctissimus & ingenii acumine praestans Ludovicus ab Alcazar magister meus observavit: non solum per accommodationem, sed etiam in sensu litterali minus praecipuo, explicari debere de B. Virgine Marià, quae in praedictis locis dicitur Spiritus sanctus, dum Christum D. summam sapientiam commendavit. Quod idem repetit in 1. p. S. Thomae q. 94. tractatu 5. Nonne tibi videtur thesis nostra satis firmo auctoritatis fundamento inniti? Huc etiam spectant illa Patrum locutiones, quibus Deiparam*

Jacobus de-Granado.

vocant Prophetarum Dioptram, finem, scopum, summam, praeconium; de quibus ad calcem hujus §. 3.

Eadem Thesis solidis & amans probatur rationibus.

Arctissima similitudo inter Christum, & Deiparam.

Julius.

S. August.

Cum Matre sua Christus habet identitatem aliquam. S. Petr. Damian. S. August.

Individua est utriusque gloria. Arnold. Carnot.

Forma Dei appellat, digna existis. S. August.

56. Primam desumo ex arctissimo necessitudinis vinculo, & similitudine eximia, quae inter Christum, ac Deiparam reperitur. Etenim Christus Jesus verè est Mariae filius, Maria similiter verè est Jesus Christi parens; quà nulla major necessitudo & similitudo. Ut enim praclare Julius aiebat. Orat. 3. in Verrem: *Cum filiis vivi nostra partimur, quia pro eadem persona habentur.* Fit inde, nihil inter Jesum, & Mariam quasi sejunctum reperiri, sed Filii gloriam esse Matris, & utriusque commune encomium, imò idem prorsus sub iisdem verbis, dum nihil oblit. Porro, si ex Canone Augustini lib. 3. de Doct. Christ. c. 31. aliquando capitis, & corporis, id est, Christi & Ecclesiae una persona nobis intimatur: neque haesitare debemus quando à capite ad corpus, vel à corpore transitur ad caput, & tamen non receditur ab una, eademque persona: una enim persona loquitur dicens: *Sicut sponso imposuit mihi mirram &c.* Si Christo, inquam, ejusque mystico corpori, scilicet Ecclesiae, commune est encomium, & sub iisdem verbis ex Spiritus S. mente praeconium, quia ex utriusque personà una fit; quid dicendum de SS. Virgine, quae non solum est mysticum & praestantissimum hujus corporis membrum, sed eandem communicat cum Christo carnem, & sanguinem; & ut loquitur Petrus Damianus ser. 2. de Nativ. *Cum illa Christus unius naturae habet identitatem:* imò, ut Augustinus loquitur Homil. 8. de Assumptione: *Ipsa specialitas naturae unum efficit Matrem ac Filium, & Filium, ac Matrem.* Fateri igitur oportet, ea verba, quae primariò Jesum respiciunt, secundariò ex Spiritus S. intentione Virginem etiam Matrem spectare, ob arctissimam utriusque unionem, identitatem, unitatem. Quòd revoces pulchra Arnoldi Carnotensis verba supra memorata, §. 1. n. 10. quibus ex hac unitate inter Christum, & Deiparam sapienter infert, *Individuam esse Matris & Filii gloriam, & commune utriusque praeconium.* Quod usque adeò manifestum esse debet, ut qui Mariae gloriam à Jesu gloria separaverit, utriusque gloriam dissolvat necessum sit. Non absimili ratione, qua fertur Minervae simulachrum destructum iri si quis Phidiae nobilis statuarii imaginem in Dae illius clypeo affixam abraderet, aut divelleret: tanto sanè artificio suum proprium vultum ipsi statuae ingeniosus artifex alligaverat. Enim verò, mirabili structura compactum dixisset in hoc 24. capite à divino artifice Christum Jesum. Quid mirum si Deus suammet formam, & imaginem in hujus statuae clypeo, eo impresserit artificio, ut nemo eam delere possit, quin totam statuam imminuat. Ast quatenam haec Dei forma propheticae Jesu statuae alligata? Utrique Maria sanctissima, uti Augustinus inquit ser. 35. de Assumpt. *Si te formam Dei appellem, digna existis.* Ipsa Dei genitrix, ipsa est Dei ipsius forma, & imago absolutissima. Jesus ergo Siracides, qui Jesu Christi simulachrum ob oculos in eo capite proponit. Auctoris imaginem, id est, Matrem Virginem, proponat etiam operæ pretium est.

57. Sit secunda ratio. Cum totum illud caput 24. sit planè praclarum quoddam de corporato Verbo vaticinium, deque illius magnalibus, majestate & gloria, perennique erga suam Ecclesiam benevolentia & beneficentia: quis credat, Spiritum sanctum consultò re ipsa praeterire voluisse Mariae glorias ab ipsomet ad tantarum rerum molitionem praecellae? Asservere igitur oportet, hanc illius capitis vaticinationem ita esse determinatam ab Incarnationis Dominicae oeconomiam, ut sub illa, etiam ex intentione Spiritus S. comprehendatur ea quae futura esset corporati Verbi Mater, quaeque tantum negotii & meriti augustioribus Christianae religionis Sacramentis impensura erat. Hoc enim gloriosus Virgini est, quàm si de illa seorsim ageretur. Quae ratiocinatio illustrari potest ex usu Prophetis familiaris. Quo: quot enim de Jesu ejusque mysteriis, Incarnatione praesertim, & natalitibus praedixere, de Maria quoque non sejunctim, sed conjunctim praedixisse animadverto. Sic Gen. 3. 15. ea verba, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum:* duplici sensu litterali gaudent, de Deipara & ejus Filio: unde pro ipsa est Hebraicè ipse: utrumque consonum: ut non sine Filio Mater, non absque Matre Filius tantum opus aggrederentur. Sic etiam Pf. 109. 3. ex multorum interpretum mente duplicem sensum litteralem claudunt illa verba, *Tecum principium in Dei virtutis tua in splendoribus sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te:* primum de aeterna Christi generatione: quo ex Patre procedit: secundum de temporali, qua ex Virgine Matre. Unde ex Hebraeo pro ex utero legi potest, ex Maria. Vide Lorinum ibi. Similiter Isaias c. 7. 14. Jerem. 31. 21. Dan. 2. 34. Ezech. 43. 1. Osee 13. 14. Michae. 5. 2. Mitto ad rem plura alia: sat haec indicasse, ut intelligas qua ratione ob arctissimum vinculum inter Christum, & ejus Matrem, de utrisque, vel sub iisdem verbis, ex Spiritus S. intentione, sermo fit.

Prophetae non intuitu & Christum & Mariam suspiciebant. Gene. 3. 15.

Pf. 109. 3.

S. Ambros.

Affine Sirah nomen & Maria cognomen Sarah, id est domina.

Galati.

Isai. 9.

58. Tertia ratio est dumtaxat pulchra, et si arcana. Eam quippe desumo ex ipsomet nostri Siracidis cognomento: cognominatur enim Sirah. Sic Ecclésiastici liber inscribitur Graecè ΣΟΦΙΑ ΣΙΡΑΧ, id est, *Sapientia Sirah.* Et in Canone ultimo appellatur ab Apostolis *Sapientia eruditi Sirah.* Et à S. Ambros. in Pf. 118. *Sirah* etiam nominatur; sumpto cognomine (ut Hugo etiam notat ad c. 50. Ecclésiastici) à Patre *Sirah*, cujus ille filius, quemadmodum & *Jesu* nomen ab avo Jesu. Sirah ergo Jesus toto eo 24. capite non tantum *Jesu* nomen, quo ipse insignitur, celebrare contendit, sed & *Sirah* cognomen, sub illisque Jesu, & Mariae magnalia. Dixerim meum hac in re inventum meliori trutina librandum. Etenim affine est valde huic cognomini *Sirah* illud Dei genitricis nomen *Sarah*: sic enim Mater Jesu Hebraicè appellatur à R. Achados apud Galatinum lib. 7. c. 13. *Mariam Sarah*, id est, *Maria Domina.* Et sic appellari autumat ab Isaià c. 9. quod est de Christo ac Deipara vaticinium. *Multiplicabitur ejus imperium,* Hebraicè *Lemaabe hamisrah*, id est, ad multiplicandum imperium: ab his quippe dictionibus oritur *Mariam Sarah*, id est, *Maria Domina*, eo modo, quo videre est in Galatino. Adde, ipsum

B a Mariae

Mariae nomen communiter interpretari Dominam, sive Sarah. Vides, sanctissimum Deiparae nomen & cognomen Sarah valde esse affine nostri Auctoris cognomen Sarah? Vides quasi perinde esse, dicere Jesus Sarah, ac Jesus Maria? Parcat severus litteratus nostri ingenii licentia, quae ob pietatem meretur veniam: & amencē subinde deducet, qua ratione libri Ecclesiastici Auctor totus sit in Jesu & Mariae gloriae evulgandis, quando vel ipsum ejus nomen nomina illorum praeferat.

Jesus Sarah quasi Jesus Maria.

Ratio à priori pro nostro asserto.

59. Quarta ratio sit à priori, ut aiunt: nempe quia huic nostrae explanationi de B. Virgine quadrat ad amissum sensus litteralis definitio, superius praemissa; cumque ex alio capite sit satis exploratum, duplicem, & multiplicem sensum litteralem plerumque dari sub eisdem sacrae scripturae verbis integro capite, in dō & integro libro; haec sane explicatio verè litteraria erit. Antecedens, quod probatione solum indiget, mihi claret: quia sensus litteralis est qui verba ipsa, sive proprie, sive translative accepta significatur primò, proximè, & immediatè: at per singula hujus capituli verba Maria Virgo ejusque magnaia primò, proximè, & immediatè significantur: huic ergo novae explanationi optimè quadrat litteralis sensus natura. Hujus verò ratiocinationis probatio cuius liquidò constabit, qui totius capituli seriem, contextum, connexionem, sententias, & verba singula ad cordatae mentis trutinam revocaverit, uti & nos per totam illius enucleationem & illustrationem, Deo annuente, praestabimus. Reperiet quidem de Virgine litterarium sensum esse convenientissimum, litterae, cui adhibetur, valde conformem, solemnem Ecclesiae usui minimè repugnantem, nec ulla ratione priori de Christo interpretationi contradicentem, imò maximè consonum, & consentaneum. Quis ergo subinde non concludat, eam fuisse Spiritus S. mentem, ut eisdem verbis, quibus commendatur Filius, sanctissima commendetur illius Parens.

Eadem splendida scripturarum veste exornantur Jesus & Maria.

Isai. 61. 10. Galat.

Sanctius.

Apoc. 19. 1.

Et c. 7. 19.

Isai. 60. 18.

S. Ambros.

60. Deiparae Mariae verba sunt gratulatoria, latissima placida, festiva, illa apud Isaiam. 61. 10. ex sententia Galatini lib. 7. c. 5. & nonnullorum Patrum. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis. Leo Caesarius optimè ex Hebraeo vertit, vestimentis Jesu. Caeterum, quae haec Jesu vestimenta? Dicam, si illa salutis interpretatio ardeat, quam exhibet litteratissimus noster Sanctius ibi. Putat enim, salutem posse accipi pro epinio, laude, sive triumphali cantico: & probat ex cap. 19. Apoc. v. 1. laus (sic Graecè, ubi noster salus) & gloria & virtus Deo nostro. Et ex cap. 7. 10. salus Deo nostro. Et ex Isai. 60. 18. Occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio: id est, ibi cantica non deerunt, laudes, & encomia. Jam ergo quando Virgo vestimentis Jesu induta esset praelæticia, id ingenuè fatetur, eisdem laudes, atque eadem cantica, & encomia, quae Christo Jesu adaptantur, eadem omnino proportione servata, fore sibi adoptanda. Quò pulchrè, referas Ambrosium lib. 7. in Lucam, existimantem, vestimenta illa alba sive splendida sicut nix, quibus Christus in monte gloriosam in speciem transfiguratus apparuit, sermones esse scripturatum, & quaedam intellectus indumenta divini. Ecce tibi festivissima Jesu vestimenta, quibus & Genitrix in-

dui voluit, & quae indura ipsa tantoperè apud Isaiam gaudet. Certè hoc gaudium vel inde emergere dixerim, quòd Deipara videat seipsam quasi à seipsa dilaudatam eisdemmet elogius, quibus se ipsam corporata dilaudat Sapientia toto eo capite 24. Ecclesiastici.

Lutherus objicit.

61. Si verò adversus haec tenus dicta assurgat quisquam illa nobis Lutheri verba obtrudens: Coactè Epistolam huc torserunt, quae divina sapientia tantum competit, ipsi videlicet Christo; hic enim ante saecula fuit, in quo omnia condita. Quòd autem Mariae Deiparae hoc tribuatur, merum est mendacium, & in Deum blasphemia. Subdit statim: Ea, quae in Epistola Missae Assumptionis Virgini adscribitur ex sapientia Sarah, ad Mariam non nisi coactè & blasphemè torqueri potuisse. Convitia haec maligni, infraenis, & stupidi calumniatoris in nostra sententia suas videntur exerere vires: nam nostrae sententiae adversantes facile argumentum dissolvunt, asserentes, numquam Ecclesiam de Maria Virgine illa verba intellexisse in sensu litterali, sed accommodatio per similitudinem aliqualem, & proportionem juxta SS. Patrum morem.

62. Respondeo, nihil haec obflare, quo minus thesim nostram retineamus. Nec propterea divina sapientiae aliqua fit injuria, cum signanter statuerimus, hunc sensum de B. Virgine litteralem non esse primarium, ac praecipuum, sed secundarium & minus principalem; primarius enim sensus ad Christum Jesum spectat, ejusque magnaia: secundarius autem ad Virginem, utpotè illius Matrem, hominum mediatrix, potissimumque instrumentum, ad opus redemptionis. Sic etiam nominatur Deipara à Patribus salutis auctrix, hominum reparatrix, causa salutis, humani generis mediatrix, & redemptrix: non quidem in sensu primario ex primaria S. Spiritus intentione: nam hic ad solum Christum pertinet, qui solus est principalis nostrae salutis causa; sed secundario dumtaxat & minus praecipuo: cum enim Deipara patriam potestatem in Christum obtinuerit, illum tanquam aliquid quòd suum erat, aeterno obtulit Patri pro humani genere redemptione. Sic etiam illa Psalmi 109. verba; Ex utero ante Luciferum genui te, & illa Isai 53. Generationem ejus quis enarrabit? quae in sensu litterali primario de aeterna Verbi generatione ex Patris substantia non pauci ex Patribus interpretantur; in sensu quoque litterali secundario de temporali ejusdem Verbi generatione ex utero Virgineo multi exponunt. Neque eapropter, ulla aeterno Patri, aut sacrae scripturae verbis fit injuria, cum non aequè primò de Virgine, ac de aeterno Genitore dicantur. Quae verò ratione Deipara praedicatur ab initio, & ante saecula creata, suo loco inferius explicabitur. Interim Lutherus, atque ejus asseclae cedant orthodoxae Ecclesiae consilio, sive potius Spiritui sancto, à quo ipsa assatur; & sciant, Mariam esse officinam immensorum bonorum, atque omnem mentis captum, & cogitationem superantium, uti aiebat verissimè S. Damascenus Orat. de Dormit. Virginis. Nos verò, ut huc usque stabilitis splendorem conciliemus, sic concludemus.

S. Damasc.

Morg.

Moralis Illatio.

§. VIII.

Mariae Prophetarum Dioptra, finis, summa, scopus, speculum quo ingenio dicatur.

63. Non hinc praeterlabatur §. tertius sine pulchra hac coronide, quae ad mores sit etiam Thesis.

Germanus.

Maria Dioptra Prophetarum.

Atque inprimis audi eximium Deiparae Panegyristam Germanum Constantinopolitanum Antislitem, qui in encomio illo, quo festam Marianae Praeeminationis lucem exornavit, sic Virginem compellat: Adestum perfectio patrum: & conventorum Domini; ades dum signaculum ejus Testamenti: finis ejus consiliorum, declaratio ejus mysteriorum: adestum DIOPTRA OMNIUM PROPHETARUM. Et enim, quòd univèrsa Dei foedera ab una Dei Matre perfecta; imò quòd foederum, quòd omnium divinarum stipulationum absolutissimam perfectionem esse Deiparam dixerit: quòd Regium, quòd divinum potius illam agnovit sigillum supremi Principis impressum Testamentum, quo utrumque, novum & vetus, sacra fide sit consignatum: quòd eam divinarum in consiliis capiendis deliberationum fixum scopum esse affirmaverit, quòd omnes Dei consultationes colliment: quòd oculassimorum mysteriorum clarissimam facem, abditissimorumque Sacramentorum perspicuam lucem assererit sanctissimus ac sapientissimus Germanus, rem ille profectò ipsissimam asseruit. Quid namque inter Deum & homines unquam convenit, quòd Maria pactum felicissimè non abolverit? Quid in utroque testamento usquam firmatum est, quòd Virgine, utpote Regio sigillo non sit obsignatum, atque firmissimè communitum? Quid in divini aditii intimo recessu ante omnem aeternitatem consultum, atque deliberatum est, cuius Deipara consultationis, ac deliberationis argumentum non fuerit? Quòd tandem arcanum extitit mysterium, quòd clarissimis Marianae lucis splendoribus non fuerit illustratum? Sed haec strictè commemorasse licuit, quae si pro dignitate omnia expendisse vellem, longum essem facturus.

Andre. Jerosol. Quid sit Dioptra.

Clavius.

64. Illud inter caetera Germani encomia, & proprius ad rem nostram est, & obscurius videtur; quòd quaesita ac delecta voce Mariam cognominaverit Prophetarum Dioptram. Nec non Andreas Jerosoly. Archiepisc. in S. Mariae Salutationem, illis verbis satis à recentioribus scriptoribus celebratis, Salve Dioptra perspiciva. Ecquid verò rei aut nominis Dioptra, cujusvis usus in causa Mariana Prophetis omnibus? Dioptrica ars solis ac lunae, caeterorumque astrorum distantias internotat, Dioptris libratur aquae, necnon turrium è longinquo concipitur altitudo. De quibus eruditè Caes. lib. 7. c. 9. & noster Christophor. Clavius ad calcem lib. 2. Astrolabii, proposit. 20. Medicinium volubile cum suis pinnaculis, & linea, quam vocant, fiducia, dici ab Astronomis Dioptram & ostentorem prodit. Itaque Dioptra à dō re dicitur, id est, ab specularando, explorando, perspicendo cadit. Et Mathematicum instrumentum significat, quo visus per artificiosum P. Ildelph. de Flores in Eccles.

ios quosdam canaliculos recta dirigitur, auctore Proclo lib. de Sphaera, & quo tum Astrologi, Astrolabio addito, uruntur, ut caelestes motus solis, lunae, astrorum intervalla dignoscant, teste Plinio lib. 2. c. 69. tum Plin. etiam Geometras, ut arcium, turrium dimensiones exigant, uti post Sudam, omnes tradunt Lexicographi. Igitur dum Germanus & Andreas Dei genitricem omnium Prophetarum Dioptram dicunt, usque adeò illam Prophetis omnibus familiarem fuisse docent; ut quidquid illi vel in caelo consultum, vel in terra divinitus peractum, Prophetis visionibus perspexerunt, non nisi per Mariam illos perspexisse doceant. Non nisi per Mariam, inquam, Dioptram mysticam, sacrum Medicinium, ostentoremve divinum, adhibita Propheticae fiducia certissima linea, universo illos futura mysteria explorasse, atque posterioribus saeculis ostendisse.

Proclus.

Mariae Prophetis familiaris.

Propheta dicitur à Mariae praevisa.

Rom. 10.

German.

Blesens.

Andreas Jerosol.

S. Hieron.

S. Ildelph.

Bernard.

S. Vincen. Ferrar.

Propheta speculatores.

65. Et quidem tanta sacrae scripturae pars Maria est, ut merito Prophetis videntium cognomen à Maria videnda inditum fuisse dixerim, quemadmodum illos à Christo videntem sic in scriptura appellatos esse, censuit V. Beda lib. 3. in Lucam c. 43. Finis legis Christus, inquit Paulus ad Rom. 10. 4. quòd Syrus Interpres legit: Scopus legis Messias est. Quòd Filio proprium videri posset, id ipse commune sibi cum Matre esse voluit; ut uterque sint sacrarum litterarum certissimus scopus, quem Vates omnes collineaverint. Sic Germanus supra citatus: In te finem acceperunt quae à Prophetis dicta sunt. Et Petrus Blesensis ser. de B. M. Nativ. Ecce figurarum finis, legis impletio, Prophetarum declaratio. Et Andreas Patriarch. Jerosol. in Homil. 2. de Annun. Haec est, inquit, declaratio oculorum, & profundorum divina incomprehensibilitatis. Haec est scopus, qui excogitatus est ante saecula. Haec est summa divinarum oraculorum. Quibus similia scribit in Encomio de ejusdem Virg. Dormitione. Ecce summa, de qua clamantur oracula Prophetarum. Vides, Deiparam finem legis esse, divinarum praedictionum scopum, in quem omnes vates omnia sua contenderit vaticinia? Vides caelestium esse Oraculorum breve, idemque amplissimum compendium?

66. Nec dissentent caeteri Patres; nam Hieronymus in exponendis scripturis maximus Ecclesiae Doctor, ad cap. 6. Michaeae, Mariam Prophetarum vaticinium nominat. Et Prophetarum praenotium. Sergius Jeropolita in Orat. de Natali Mariae. Quasi illam universi unice fuerint vaticinati, vel quasi ad illam, utpote anacephalae sin omnium Prophetarum, omnia sint oracula referenda. S. Ildelphoni Toletani illustris ea vox est in 1. ser. de Assump. Ecce ad quam concurrunt, o filii, omnia eloquia Prophetarum; ad quam omnia enigmata concurrunt scripturarum. Addo Bernardi illius melliflui luculentam sententiam ex ser. 1. in Canticum, Salve Regina. De hac, & ob hanc, & propter hanc omnis scriptura facta est. Quid planius? quid plenius? Adhuc plenius S. Vincentius Ferrariensis ser. de Concep. Virg. Virgo Maria in omnibus libris sacrae Scripturae, & in omnibus Canticis; imò etiam in singulis versibus directè, vel indirectè est mysticè contenta.

67. Cognominari solent Prophetae in litteris inspiratis speculatores, non solum ab specula-